Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2823

Quelle:
Copyright:

DCCLXX.

589 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 220. 4. a Variis conſcriptus et pro Conventu *Wien.* Ord. FF. Praed. emtus a. 1445. ſequentia complectitur: I. *Sermonem*, qui inſcribitur *ad clerum male viuentem infectiuus.* In Concilio *Conſtant.* aut *Baſil.* habitum putem. Thema: *Ecce nunc tempus &c. II. ad Cor. VI°.* Initium: *Et in epiſtola hodierna Reuerendi ac preclari viri ut in cordibus veſtris imprimantur que dicenda ſunt de preſentis temporis malicia* &c. Dictus igitur Dominica I. Quadrag. agit de duobus temporibus: *primo tempore, in quo laycus debet inquinari, ſecundo tempore, in quo clerus debet flagellari*, cui per decurſum et ipſe non pauca flagella admetitur. Autor neque hujus, neque ſequentis *Sermonis* proditur, qui inſcribitur

II. *fol.* 9. *Sermo ad paſtores vt vigilent ſuper gregem.* Et incipit: *Hora eſt iam nos de ſompno ſurgere. Ad Ro. XIII°. hec uerba originaliter ſcribuntur et in epiſtola hodierna recitatiue Reuerendiſſimi inſignesque Domini, ut in hac hora mens ſompnolenta per uerbum dei excitetur* &c. Habitus ergo Dom. I. Advent. urget vigilandum Paſtoribus ſacris: *primo propter regem venientem cui habemus occurrere, ſecundo propter gregem pacientem cui debemus ſuccurrere.*

III. *fol.* 13. Admonitio graviſſima Regni, ut videtur, nomine ad Principem quendam facta, quae incipit: *Sereniſſime ac chriſtianiſſime princeps Attendentes veſtri humiles oratores terribiles et repentinas puniciones quas frequenter exequitur deus in perſonis Regum qui ſunt ad iuſticiam faciendam negligentes* &c. Motos ſe dicunt et perterritos *propter periculum grauiſſimum quod vidimus perſone Veſtre Regie imminere*, item, *quod pene non eſt viſum a ſeculo ſeu auditum in aliquo chriſtianiſmo tam horribiliter nomen dei blaſphemari, nec ipſum deum in ſacramentis et mandatis ſuis tantum vilipendi et contempni vt in violacione eccleſiarum conculcatione ſacre euchariſtie et omnium Sacramentorum fedacione, atque in ſtupro virginum et viduarum coniugumque oppreſſione nec non Infancium paruulorum usque ad necem duris cruciatibus in conſpectu parentum ac cuiusque patris uel matrisfamilias tortura* &c. His igitur ſuccedunt *Poſtulata*, quae indicabo: Ut Princeps ad expedienda negotia ſe mature lecto eripiat, ut prius Officium ſeu Preces perſolvat, et dein Miſſam audiat, ut Sacerdotes proprios et Capellam habeat, ut ſaltem ſemel in menſe conſcientiam expurget, ut Chriſti Vicario reverentiam exhibeat, ut Edictum contra Blaſphematores promulget, ut Praelatos non inſtituat ignorantes et pravos, ut nullum Eccleſiaſticum ad ſe admittat niſi habitu conveniente indutum, ut Officiales ſuos urgeat ad puniendos Raptores publicos, ut diem in hebdomade ſtatuat ad audiendas Pauperum ſupplicationes, ut Schiſmaticos, Haereticos aut de

Fide